

DEO OPTIMO MAXIMO

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die jovis decimâ sextâ mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXIX.

M. JOANNE-AUGUSTINO COUTAVOZ,
Doctore Medico, Præside.

An quæ Pleuritidis, eadem Rheumatismi acuti indoles, eadem curatio?

I.



HEUMATISMUM temporibus nostris ità frequentem, Antiquis ignotum fuisse videtur, sive cum Arthritide unum eumdem que morbum esse censerent, sive, ut ait Sydenhamus, *hanc morbi speciem, ad reliquam malorum iliada, de novo accessisse arbitremur*. Hunc primi, in Galliâ Ballonius, in angliâ Sydenhamus, ab aliis morbis

A

ſejunxerunt & à Podagrâ peculiariter diſtinguentes, docuère quodnam inter finitimos illos affectus adſit diſcrimen. Articulos obſidet uterque; Arthritis verò capſulas & ligamenta quibus invicem oſſa connectuntur, Rheumatiſmus membranas potiùs laceſſit, quæ muſculos eorumque fibras obveſtiunt, ſævisque doloribus excruciat: illa certis premit temporibus, certis torquet periodis; hic autèm quandòque ſemel vel bìs tantùm per omnem ætatem adoritur: priùs quàm invadat Podagra, cruditates & ructus patitur æger, deindè torpor quidam & frigus obrepit, naturali vegetior fit appetitus, alvus interìm adſtricta remanet, dolores gradatìm ad ſummum perveniunt acumen; urgente Rheumatiſmo, nullo vel diſſimili ſymptomate prævio, majori ſævitie tormina protinùs ingruunt: in illâ tumor mediocris, dolor lancinans pungitivus, dilacerans; in hoc tumor adeſt maximus, tenſivus dolor, preſſorius, cum ſucceſſivâ ſenſatione frigoris & caloris acuti: Arthritidis tandèm longiores ſunt inſultus, Rheumatiſmus intrà paucos dies aut ſaltèm hebdomadas abſolvitur: *niſi quòd, ſi minùs peritè tractætur*, aut æger rerum naturalium abuſu peccaverit, *non ad menſes tantùm, ſed ad annos etiàm aliquot, imo per omnem adeò vitam, miſerum haud infrequenter diſcruciet & paroxyſmis quibuſdam periodicè repetitis, ad inſtar Arthritidis ſubindè laceſſat.*

Hinc Hofmannus Rheumatiſmum diſtinguit in ſanguineum & cacochymicum: alter acutus ſtadia ſua velociùs percurrit; chronicus alter, prioris ſæpiſſimè ſoboles, ſuam tyrranidem exercet diutiùs, medicamentis difficiliùs cedit, & in genuinam quandòque faceſſit Arthritidem. De acuto diſſerendum ſuſcepimus hâc præſenti queſtione, eòque lubentiùs, *quod in nullâ regione familiarior ſit quàm in Galliâ, Pariſienſibus verò communior, ob victum copioſum & condimentis noxium*: nec à veritatis tramite diſcedere videbimur, ſi morbum iſtum, pleuritidis ad inſtar, inflammatorium eſſe contendamus, ac proindè adverſus utrumque morbum eadem remedia eſſe adhibenda, ſiquidèm omnes inflammatorii morbi, quæcumque ſit eorum ſedes, eâdem therapeïâ generali ſanandi ſunt.

I I.

JUXTA auctores, inflammatio quælibet, à minimorum vaſorum obſtructione ſuam originem ducit; hanc vaſculorum obturationem procreant 1°. ſanguinis & humorum vitia, nempè quantitas, rarefactio, ſpiſſitudo, acrimonia; 2°. partis ipſiûs

defectus, ſcilicet debilitas, conſtrictio, compreſſio, contuſio. Si ſanguis ipſe intrà proprios canales detineatur, celeriùs ſe prodit inflammatio, lentiùs autèm ſi cæteri ſtagnent liquores. Ex allatis cauſis eadem ſemper phenomena, tumor, æſtus, rubedo, tenſio, dolor, febris aliaque ſequuntur, intenſiori vel remiſſiori gradu, prout una tantùm & minoris momenti cauſa ingruit, vel plures ſimul & majoris efficaciæ concurrunt. Gravius etiam malum erit ſi viſcus aliquod princeps invadat, aut aliam partem quæ ſenſu exquiſitiori donetur. Utut ſe res habeat, quod ad curationem ſpectat, tres in omni caſu indicationes occurrunt præcipuè, nimirùm ſanguinis molem illius que momentum contra vaſa minuere, vaſa relaxare & humores diluere. Ad hæc, initio morbi, tanquam certiſſimum præſidium ab omnibus clinicis celebratur venæ ſectio, quæ, pro natâ occaſione iterata, *vacuando*, *revellendo*, *derivando*, *refrigerando*, omnibus ſola ferè proſpicit. Vaſa enim minùs diſtenta faciliùs & vividiùs in ſanguinem à corde impulſum contrahuntur, undè major fluidorum attenuatio: cordis ipſius robur debilitatur, imminuto ſpirituum influxu per ſanguinis detractionem: obſtructa vaſa liberiùs oſcillant & ſeſe ab infarciente humore exonerant faciliùs, tùm minutâ ſanguinis à tergo prementis reſiſtentiâ, ſic que patenti ab anguſto in latiorem tubulum regreſſu; tùm iteratâ vaſorum actione diviſis humoribus, ità ut per viam ſibi propriam ulteriùs propelluntur. Irritata vaſa relaxantur applicatione emollientium, potione lenienti, vapore humido, enematibus idoneis aliiſque ſimilibus; humorum pariter lentor ſolvitur, retunditur acrimonia, compeſcitur rarefactio, potu aqueo, demulcenti, acidulo, frigido, copioſè ſumpto, quibus addere eſt evacuantia, in primo morbi ſtadio ſi res poſtulet, ſub finem verò ſemper adhibenda, ne forſan & acrius malum recrudeſcat. His omnibus ſapienter uſurpatis, aptè combinatis, experientiâ teſte, inflammatio quælibet feliciter ſanatur; neque peculiarem medelam ſibi vindicant ſymptomata varia quæ partibus quibuſdam inflammatis propria ſunt, ut delirium capiti, tuſſis & dyſpnœa pectori, ſingultus ventriculo, iſchuria renibus, &c. Hæc à partis affectæ naturâ pendent, malum verò non mutant, quod unum ubique, iiſdem ſemper armis debet profligari.

III.

PLEURITIDEM morbum inflammatorium esse omnibus jam notum; idem de Rheumatismo acuto quid vetat asserere, cùm tanta sit utriusque symptomatum similitudo, ut, unius descriptione factâ, alterius historia delineari primâ fronte videatur? Eâdem ab origine oriundus uterque iisdem fermè stipatur symptomatibus, nec dissimilem habet exitum. Homines præsertìm ætate florentes, calidâ & sanguineâ gaudentes indole Rheumatismus aggreditur; huic sæpiùs occasionem præbet frigus incautè admissum, dùm corpus ab exercitio vehementiori plurimùm æstuat; hunc pariter accersere valent hæmorrhoidum & catamæniorum suppressio, exsiccatio fonticulorum, assuetæ venæ sectionis neglectus, victus lautior, labor improbus, acris in sanguine temperies, hæreditaria dispositio. Proximam agnoscit causam, humoris lymphatici congestionem in vasis albis textûs adiposi, aut in ipsiûs cellulis, unde sanguinea vasa comprimuntur simùl & irritantur. Imminente morbo frigus quoddam persentitur & totiûs corporis inquietudo; mox insequuntur rigor & horror, quos excipit febris acuta, calor acris, lassitudo & infelix illa symptomatum cohors, cujuslibet febris comes indivulsa. Nulla tamen putredinis adsunt indicia, lingua minùs nitida non est, parùm turbantur functiones. Elapso die uno aut altero, quandoque citiùs, atroci dolore in aliquâ corporis parte corripitur æger, verùm imprimis juxtà articulos, ubi musculorum tendines inseruntur. Alterutrum genu sæpiùs afficitur, aut etiàm utrumque; modò pedibus insidet malum, modò coxis, lumbis insidiatur, modò collum, maxillas, capitis cutem, humeros, cubitum, carpum occupat. Nunc parti quam priùs infestavit tenaciùs adhæret, nunc propter humoris mobilitatem ex unâ sede in aliam subitò defertur. Ubicùmque vestigium figat, tumorem excitat phlegmonis more rubentem & calidum, motum que impedit. Tùm febris aliquandò mitescere videtur, aliàs eodem tenore desævit aliquot diebus feròque exasperatur. Pulsus ut in Pleuritide durus, sanguis ex apertâ venâ emissus *pleuriticorum sanguini tàm est similis quàm ovum ovo*, itâ ut nec quisquam reperiatur qui veram inflammationem adesse dubitaverit. Ultimum autem argumentum à morbi terminatione desumitur. Rheumatismus enim Pleuritidis, imò inflammationis cujuslibet in modum per resolutionem absolvitur, & hic frequentior ut &

optimus exitus. In hoc casu, materiem morbosam foras abigere natura consuevit, vel per urinas turbidas, lutulentas & plurimùm crocei sedimenti deponentes, vel per dejectiones biliosas & acres, vel deniquè per sudorem. In suppurationem tumor non numquàm vergit & tunc fit abscessus, aut humore ad tibias delapso, cutis in ampullas attollitur sero acri & rodente turgidas, quibus ulcera succedunt, quæ quidèm citiùs sanare nefas & piaculum: plerùmque etiàm erumpunt papulæ, artum cingentes instar modioli; cutis semper ut in eresipelate desquammatur. De induratione non minùs constat, nàm Rheumatismo potiùs quàm podagræ tribuendi sunt duriores tophi qui sub cute, aut in musculorum interstitiis identidem efformantur, quales in bronchiis post inflammatum pulmonem. In gangrænam quòque & sphacelum morbus desinit, quod maximè contigisse visum fuit, quandó tumori malè applicatis remediis discutientibus, humor in abdomen, pectus aut cerebrum migravit, priori sede relictâ, ubì luctuosam phlogosim lethalemque gangrænam celeriter procreavit. Talibus signis, quis magnam Pleuritidem inter & Rheumatismum affinitatem non dignoscet, ac utrumque morbum pariter inflammatorium, sede tantùm differre non fatebitur?

I V.

DE acuti Rheumatismi curâ dicere jamjàm supervacaneum foret, cum satis unicuique pateat, hunc non aliis cedere medicaminibus quàm pleuritidem & eâ profligandum esse methodo, quam adversùs inflammationem suprà instituimus. Ne tamen aliquid remaneat dubii, sententiam nostram virorum in re medicâ peritissimorum auctoritate fulcire juvat, & primò quidèm Sydenhami, qui cùm morbum accuratè descripserit, suâ eleganti nec minùs doctâ brevitate, curandi modum ptoponit his verbis. *Cùm hæc morbi species ab inflammatione videatur oriri, censeo ego curationem non aliundè quàm à phlebotomiâ debere sumi, sanguine interìm contemperato, ejusque nimio fervore represso, tùm medicamentis refrigerantibus & incrassantibus, tùm etiàm convenienti regimine.* Sic Ballonius: *idem canon ferè curationis est, in hoc affectu, qui in lassitudine ulcerosa aut phlegmonode.* Hæc mens Riverii, Caroli Pisonis, Hofmanni & aliorum, quorum sententiæ quidquam addere vereor, cùm id munus ad peritissimos hujusce scholæ magistros æquissimo jure pertineat, quos & perspicacia sagax & an-

nosa nec minùs felix experientia veram Rheumatismi curandi methodum edocuit: ea tamen ingenuè subjiciam, quæ ex illustrissimorum virorum colloquiis aut praxi colligere mihi feliciter contigit. Sanguinem, in præsenti morbo, mittere summè proficuum arguit ipsa natura, nàm si larga superveniat hæmorragia, malùm omninò solvit. Verùm interest plurimì, quo tempore, quibus intervallis fiant venæ sectiones & quo numero: si seriùs instituantur, periculosus evadit & longior morbus; idem fit si invicem remotiores fuerint, & ideò forsan Rheumatismo longius stadium præfixit Sydenhamus, quòd venam semel tantùm, singulis & alternis diebus, pertundi juberet. Utiliùs multò venæ sectionem, primo die vel sequenti, bìs, ter & pluriès iterare velut in pleuritide, pro viribus ægri, doloris & febris intensitate. Interìm plurimùm juvant tenuior victus, diluentia & antiphlogistica, serum lactis præcipuè, quod hìc miram & quasi specificam habet virtutem. Topicis dolores compescere non tutum, quòd etsi leniores sint, profuturam transudationem præpediant. Sufficit lecti calor isque moderatus: faustè tamen usurpantur balnea, vapores humidi, quibus tumor emollitur, diluuntur humores, adjuvatur perspiratio. Vigente febri, purgantibus maximè diffidendum; sed necessaria sunt prorsùs, quandò, sub finem morbi, humores per febrim sic attenuati fuère & mobiliores facti, ut evacuari se, absque periculo, patiantur. Tunc cartharticis utendum, mitioribus quidèm, sed pluriès repetitis, ut morbosa materies penitùs eliminetur & præcaveatur reditus. In hoc etiàm morbi stadio, topica resolventia licet adhibere & frictiones, quibus excitantur fibrarum oscillationes & tonus restituitur. Curam absolvere deniquè valent aquæ minerales, tùm humorem subducendo leniter, tùm vasculorum obstructiones blandè reserando. Hâc methodo certiùs malum profligatur ac citiùs & æger in pristinam perfectè restituitur sanitatem. Priùs quàm huic capiti finis imponatur, unum monere liceat, nempè Rheumatismi curam absque periculo non procrastinari. Enim verò, cùm humor sedem habeat in textu cellulari, faciliùs ex uno loco delabitur in alium & si quandò partes internas afficiat, gravius affert periculum & vitæ etiàm struit insidias, quod observatione sequenti patebit. Puella Rheumaticos dolores in artubus experiebatur; post aliquot menses in femur & genu morbus irrupit asperrimè: De illo minimè curavit ægrotans, sponte malum evanuit. Tribus elapsis aut quatuor mensibus, in mammâ lateris

ejusdem recruduit dolor & pariter absque medicamine desiit; mox carpus & ulna non minori sævitiâ correpti fuère. Imminens ab hoc humore fugaci periculum frustrà sollicitus ægrotantem admonuit medicus, utilibus obsurdescens monitis, omnem, maximo sui damno, medicinam abjecit. Ingruente enim hyeme, Rheumatismus, in pulmones è brachio repulsus, tristem procreavit hæmophtisim, quæ miseram, remediis incautè reluctantem, ad exitiale fatum deduxit immaturam que mortem. Hîc notandum venit in simili casu, sinapismos & vesicantia, ad humorem per cellulas textûs adisposi serpentem evocandum, miræ utilitalis esse nec non efficaciæ. Nunc solvendis incumbendum objectionibus, quibus spero fore ut thesis nostra convelli non possit aut labefactari.

V.

OBJICIETUR forsan, Rheumatismum ab insensilis perspirationis vitio pendere, proindè que potiùs sanari medicaminibus quæ sudorem eliciant, quam refrigerantibus aut venæ sectione; 2°. inflammatione depulsâ, tamen morbum non averti. Ad hæc respondendum 1°. Diaphoretica nedùm aliquid proficiant ubi semel adest malum; cùm hujusce modi remediis calidior vis innata sit, furens nimìs incendium acriùs excitare, eretismum augere & sic plurimum afferre detrimenti. His idcircò sapienter abstinendum, quidquid jactent Helmontii sectatores: nàm, inquit Sydenhamus, *Diaphoresis propriè loquendo, naturæ ipsiûs est methodus, quâ materiem febrilem foras protrudit.* Itaque non ante finem morbi talia remedia prudens usurpabit medicus, quandò scilicet signa coctionis adsunt & molimen naturæ, quam eo deducendam esse monet Hyppocrates quò maximè vergit. Prætereà in Rheumatismo, sicut & in acutis febribus, declinante morbo, postquam venæ sectionis ope, potu demulcenti, relaxata fuère vasa, humores diluti, sponte suâ promanat sudor, quem minoribus auxiliis juvare tùm licebit. Quod ad secundam objectionem spectat; dolores, post resolutam inflammationem, umquàm superesse negamus, si simplex Rheumatismus fuerit & ritè pertractatus: *alia verò species est Rheumatismi quæ ad scorbutum quàm proximè accedit, ut pote quæ insigniora hujus morbi symptomata æmulatur & pariter eadem fermè remedia sibi vindicat, ideòque Rheumatismus scorbuticus audit.* Alteram speciem hæc non nunquàm mentitur at iisdem non sanatur remediis. Attendendum

igitur ſedulò, utrùm nòn adſit talis aut alia, nempê venerea complicatio, de cujus curatione dicere, noſtri non eſt inſtituti. Nunc cum Rheumatiſmi indolem evolverimus & curam, objectiones probè, ni fallor, diluerimus, ſic concludere nihil vetat.

Ergò quæ Pleuritidis, eadem Rheumatiſmi acuti indoles, eadem curatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Armandus-ROUSSIN DE MONTABOURG.

M. Guillelmus FUMÉE.

M. Natalis-Maria DE GEVIGLAND, Regiorum in Germaniâ Ducum & Militum Noſocomiorum nuper Medicus.

M. Natalis-Nicolaus MALLET.

M. Marinus-Jacobus-Carolus ROBERT, S. Duci Bipontini Archiater nec non à Conciliis & Secretis.

M. Franciſcus-David HÉRISSANT, Regiæ Scientiarum Academiæ Regiæ que Societatis Londinenſis Socius.

M. Franciſcus-Ludovicus THOMAS D'ONGLÉE.

M. Maximilianus-Joſephus LEYS.

M. Carolus-Franciſcus BOUTIGNI DESPREAUX.

Proponebat Pariſiis, CLAUDIUS LAFISSE Lugdunæus, Doctor Medicus Andegavenſis; nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, theſeos autor A. R. S. H. 1769, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſit. & Facultatis Med. Typograph. 1769.